



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Leontius Martyr. 18. Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

40] 436 [0*

S. LEONTIUS MARTYR.

18. Junii.

*Non contemplantibus nobis, quæ
non videntur, quæ enim videntur,
temporalia sunt, quæ autem non
videntur, æterna sunt. 2. Corint. 4.*

Vespasiani ævo, LEONTIUS militiæ ar-
tibus clarus, Christianæ pietatis pœ-
nas dedit, Arcadio mite Cæsaris ingenium
in virtutum excidium incitante. Datur Hy-
pato negotium hominis comprehendendi;
is in procinctu febre corripitur; quæ se non
ante levandum, Angelo docente, intelligit,
quàm Deum LEONTII supplex inelamasset,
Dicitur, factum: etsi ne sic quidem crudele
ministerium deseruit; sed cum Theodulo
Tripolim Leontio imminens abiit. Enim
verò non refûgit captatores nobilis prædæ,
quin imò domum deductis comitèrque ac-
ceptis ultro sese aperuit, sed jam attonitis
inauditâ humanitate, & imperii oblitis
Tum demum Hypatius suspicere LEONTII
Deum

Deum, qui suis cultoribus hos mores, talem indolem daret; eundem Theodulus deprædicare, unaque polcere tam sancto utrumque Numini initiaret. Favit cœlum votis, & rosca nubes in imbrem soluta capitibus superfunditur. LEONTIUS tinctos Deo consecrat. Adrianus re intellectâ furere, & nihil profecturis sævitæ artibus tentare veterani pariter & tyronum constantiam, & hi quidem post equuleum, unicum & verbera, capite imminuti sunt. LEONTIUS longâ patientiâ præsidis ingenium lassavit, & totum carnificinæ apparatus exhaustit; donec pendenti continuâ verberatione anima extorta est. Utinam quemadmodum Themistocli trophæa Miltiadis, ita nobis LEONTII triumphus somnum excuteret! *Ex Surio.*

MEDITATIO

De cœli intuitu & desiderio.

I. **S.** LEONTIUS quod in cœlum semper oculos converteret, Tyranni jussu saxum ejus collo alligatum est, ut invitus terram aspiceret. semper suspice cœlum. in prosperis si hoc suspexeris, omnia tibi mundi bona serdebunt; in adversis, solabuntur te bona ibidem præparata. *nihil erus sentis in nervo, dum animus est in paradiso.* Tertul.

a. Interroga Beatos, quid in præsentia sentiant

Ee

de

de terrenis: consule eos in dubiis: quid, quæso, respondebunt? Ah! profectò cum maximo miserationis sensu nos intuentur, quòd bonis brevi relinquendis tantùm adhareamus. *Quid cum terra illi, qui possidet cælum?* Chrysol:

2. Deus (inquit Clemens Alexandrinus) dedit triplicem decalogum hominibus; primus is est, quem promulgavit Moses. alter est lumen rationis, quæ cuique tum facienda, tum omittenda præscribit. Tertius est cæli conspectus: Enimverò quis serenâ nocte Cæli pulchritudinem aspexerit, quin amet, & miretur ejus auctorem? Quis verò viderit cælum caliginosum, repetito fulgure mortalibus fulmina minitans, quin tonantem timeat, ac humiliet se sub potenti manu Dei? Nemo Cælum suspexerit, quin terram spernat, cælum cupiat, Deum amet, adoret, timeat, quibus rebus omnis observatio decalogi planè continetur. *Quàm sordet terra, dum cælum aspicio!* Ignat.

SS. GERVASIUS &
PROTASIVS.
MARTYRES.

19. Junii.

Concupiscitis & non habetis.

Matth. cap. 4.

Pa